Joannes Casimirus Dei Gratia Rex Poloniæ Magnus Dux Lithua-
niæ, Russiæ Prussiæ Masoviæ Samogitiæ, Livoniæ Smolen. Czerniecho-
viæq. Necnon Suecorum, Gottorum, Vandalorumq. hæreditarius Rex
Illustrissimo et Reverendissimo D.no Marcello S. R. E. Cardinali San-
ctæ Crucis Regni N.ri Comprotectori. Amico N.ro Charissimo et Honorando.
Salutem et omnem felicitatem. Ill.me et R.me D.ne, Amice Cha-
rissime et Honorande. Quo studio et propensione Ill.ma D. V.ra
negotia Ecclesiarum collationis N.ræ, accurare consuevit, eandem
Religioso Athanasio Rudzienski, ex Ordine Sancti Francisci
Minorum de Observantia, Nominato a Nobis Episcopo Bachoviensi
in Valachia, in expediendis Bullis Apostolicis impensuram nil
dubitamus. Cum vero Episcopatus ille, omnibus redditibus, ut
sub potentia Othomanica existens, orbatus et mutilatus sit, æqui-
tati et benignitati consonum esse duximus intercedere, quatenus de sum-
ptu ordinario Bullarum eidem Religioso Athanasio Rudzienski
gratiose remittatur. Quod curæ et diligentiæ Ill.mæ D. V.ræ commendantes
eidem diuturnam Valetudinem a Deo precamur. Datæ Varsaviæ
Die XXX Mensis Junij Anno Domini MDCLX. Regnorum
Nostrorum Poloniæ XI Sueciæ vero XII Anno.

Joannes Casimirus Rex

Illustrmo et Rndmo Dno
Marcello S. R. E. Cardi=
nali Sanctaecrucis Regni
Nri Comprotectori Amico
Nro Charmo et Honorando.

